

## II

### SEQUENCE, PASCHALTIDE

#### THIRTEENTH CENTURY SARUM MISSAL<sup>2</sup>

Stabat iuxta Christi crucem stabat uidens mundi ducem uite ualefacere.	3
Stabat uirgo necnon mater et quid sit euentus ater nouo nouit funere.	6
Stabat uirgo spectans crucem. et utramque pati lucem set plus suam doluit.	9
Illa stabat hic pendebat et que foris hic ferebat intus hec sustinuit.	12
Intus cruci conclauatur intus suo iugulatur mater agni gladio.	15
Intus martyr consecratur. intus tota concrematur amoris incendio.	18

<p>Modo manus modo latus  modo ferro perforatus  oculis resumitur.</p>	21
<p>Modo capud spinis sutum  cuius orbis totus nutum  et sentit et sequitur.</p>	24
<p>Os uerendum litum sputis  et flagellis rupta cutis  et tot riui sanguinis</p>	27
<p>Probra risus et que restant  orbitati tela prestant  et dolori uirginis.</p>	30
<p>Tempus nacta trux natura  nunc reposcit sua iura  nunc dolores acuit.</p>	33
<p>Nunc extorquet cum usura  gemitus quos paritura  natura detinuit.</p>	36
<p>Hec nunc parit nunc scit uere  quam maternum sit dolere  quam amarum parere.</p>	39
<p>Nunc se dolor orbitati  dilatus in partu nati  presentat in funere.</p>	42
<p>Nunc scit mater uim meroris  seruat tamen hec pudoris  uirginalis gratiam.</p>	45
<p>Nam pudicos gestus foris  non deflorat uis doloris  intus urens anxiam.</p>	48
<p>Triduanus ergo fletus  leta demum est deletus  surgentis uictoria.</p>	51

Leta lucet spes dolenti nato namque resurgenti conresurgunt gaudia.	54
Christi nouus hic natalis formam partus uirginalis clauso seruat tumulo. Hinc processit hinc surrexit hinc et inde christus exit intacto signaculo.	57 60
Eya mater eya leta fletus tui nox expleta lucessit in gaudium. Nostre quoque letum mane nocti plusquam triduane tuum redde filium. amen.	63 66